

Dissertatio medica inauguralis qua disquiritur, an haematemesis subinde ex sola debilitate venae portarum oriatur ... / Andreas Italinski.

Contributors

Italinski, Andreas.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Sam. et Joh. Luchtmans, 1774.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cyr2fcr7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

QUA DISQUIRITUR,

AN HAEMATEMESIS SUBIN-
DE EX SOLA DEBILITATE
VENAE PORTARUM
ORIA TUR?

QUAM

FAVENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS

HIERONYMI DAVIDIS GAUBII,

MEDIC. DOCTORIS, EJUSDEM AC CHEMIAE ET COL-
LEGII PRACTICO-MEDICI PROFESSORIS ORDINA-
RII, SERENISSIMI PRINCIPIS ARAUS. ET
NASSOV. ARCHIATRI.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
Nobilissimaeque FACULTATIS MEDICAE Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis,
rite, ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini submittit

ANDREAS ITALINSKI,

RUSO-TRANSULANUS.

Ad diem 15. Julii, MDCCCLXXIV. H. L. Q. S.



LUGDUNI BATAVORUM,

APUD SAM. ET JOH. LUCHTMANS,

M D C C L X X I V.

51
Vobisissimus Doctissimique Dominus Johanni
Kinson offert in teperat gratissimum sui am
additissimus obsequentissimisque
A. Italicus, kj

— — Cum materies est multa parata,
Cum locus est praesto: nec res nec causa moratur
Ulla: geni debent nimirum & confieri res.

LUCRET. lib. II.

I L L U S T R I S S I M O

A T Q U E

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D O M I N O

SIMEONI DE KOTSCHUBEY,

REI TORMENTARIAE QUAE PARVAE RUSSIAE

EST

PRAEFECTO GENERALI

COLLEGII IBIDEM CONSTITUTI

M E M B R O

ORDINIS S. ANNAE

EQUITI.

N E C N O N

PERILLUSTRI NOBISSIMOQUE

D O M I N O

PAULO DE KOTSCHUBEY,

SUBCAMERARIO DISNISSIMO.

A 2

DE-

DENIQUE
NOBILISSIMO
GENEROSISSIMOQUE DOMINO
GREGORIO DE BASILEWSKI,
IN COMITATU OSTAPIENSI JURI
DICUNDO
PRAEPOSITO
DILECTISSIMO SUO, RARAE
INTEGRITATIS AMICO

VIRIS
PRAESTANTISSIMIS, PRAECLARIS
ANIMI DOTIBUS, MORUM PROBITATE
COMITATEQUE INCLYTIS.

OB MULTA EAQUE MAXIMA IN SE SUOSQUE
BENEFICIA COLLATA, IN PERPETUUM
PIETATIS, MENTIS GRATAE, SUM-
MAEQUE OBSERVANTIAE PIGNUS.

*Has qualescunque studiorum suorum
primitias,*

D. D. D.
A U C T O R.



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

QUA DISQUIRITUR,

AN HAEMATEMESIS SUBINDE
EX SOLA DEBILITATE
VENAE PORTARUM
ORIA TUR?

§. I.

Haematemesis vulgo dicitur sanguinis e-
ventriculo eiectione cum maiori mino-
ri ve vomitionis conatu. Quum au-
tem iis hominibus, qui morbo hoc
affliguntur, contingat nonnunquam rarissime licet

6 DISSERTATIO MEDICA

forſan, ut ſanguis effuſus in inteſtinorum cavum de ſuis vafiſ vel copioſiſſimus, ob qualescunque demum cauſas non ſub vomituſ ſpecie per oſ extra corpus amandetur ſed ocyuſ ſeriuſ alvo eliminetur ; tale quoque profluviuſ modo tantum quo apparet non autem eſſentia ſua a priori diverſum , ſub unum eundemque tituluſ in tractatione hac refero.

§. I I.

Obſervavi auctoreſ , qui de haematemeſi egerunt, poſtquam plureſ enumerarunt cauſaſ tum externaſ, tum internaſ, addere denique & febreſ intermittenteſ, id que tam ancipiti locutione, ut facile in animum induxeris, eoſ innuere velle febreſ hanc diverſa quadam ratione morbuſ hunc excitare poſſe, quam eundem efficere valent, ſupra iis memorata: Atrabiliſ, obſtructioneſ hepatiſ, lienis, pancreatiſ &c. nec tamen quid revera ſenſerint, exponere operae praetium duxerunt.

§. I I I.

Meo quidem iudicio non a veritate abſonum eſſe

esse videtur, Febrem intermittentem tertianam posse afficere systema venae portarum ita, ut reliquis omnibus causis exulantibus, huius solius debilitate, dato sanguinis vehementiori motu, vel determinatione ejus quacunque ex causa orta ad viscera abdominalia, profluvium sanguinis quod haematemesim dicimus, contingat.

Quomodo, quam que ob rem id fieri posse existimem pars erit, quid conferat ad haec observatio, erit altera argumenti eorum omnium, quae praematurum hoc specimen absolvunt.

§. I V.

Quanquam autem incumberet mihi generaliter primo ostendere, qua ratione, imminuto robore vasorum, undecunque is repetatur, accidere posset effusio sanguinis extra ipsorum cava; at quum dicta non modo sed & in vulgus iam fere nota proferre deberem, abstineo de industria a talibus. Transeo potius ad ea, quae proxime scopum meum feriunt.

§. V.

8 DISSERTATIO MEDICA

§. V.

In primo febris intermittentis tertianae stadio obseruantur: lassitudo, debilitas, gravitas totius corporis, insensibilitas cutis, a levi refrigerationis sensu ad summum usque rigoris gradum increscens frigus, torpor animi, respiratio difficilis, pulsus celer, oppraessus ac quasi constrictus; perturbatio igitur omnium actionum, universalis virium suppressio. In secundo quod Sydenhamius ebullitionis dixit stadio, sensim transitus fit ad aestum, recuperat vires cor totumque systema circulationis, rapido dein motu magnoque cum impetu vibratur sanguis, pulsus redditur frequens, magnus, plenus; magnus undique commovet membra calor, suffusa fit rubore facies, quin & omnia turgent sanguine sensumque excitant molestae cuiusdam oppletionis; plerique tenduntur circa dorsum atque praecordia: Haec remittunt sensim ac vix non semper profuso solvuntur sudore.

§. VI.

Sub tota hac syndrome enumeratorum sympto-

ptomatum, quid accidat ratione vasorum circulationi sanguinis destinatorum, non difficile erit eruere. Stringit levior primo, violentus statim extrema vasorum spasmus densat que ut sic dicam totum corpus; cedit igitur de arctatis locis undequaque sanguis contentus, facilius quidem venosus ob faciliorem viam succussoriosque musculorum tremores, sed cogitur & arteriosus remeare gradum; colligitur uterque in maiores interioresque truncos, auget simul & copiam affluentis ad cor & resistantiam parit eidem propellendo e corde, sicque cum cor tantum excipiat quantum reddere conceditur, venae onerabuntur maiori cruoris quantitate, quam arteriae; praeterea dum vis contractionis arteriarum tunc temporis maxime intenditur, non solum venis suum subsistere cogunt humorem, sed & paulatim omnem, qui retro actus eas molestabat, extrudunt in uenarum confinia retinentque modo tenuiorem riuulum vix amplius, violentius contractam earum diametrum, sollicitantem. Inundantur & expanduntur maiores a finibusque remotiores venarum alvei, neque ~~vim~~ vim vi reprimere pares sunt ob laxas quibus praeditae sunt tunicas. Docent id pallor & tabida quasi

exarescentia totius corporis habitus externi, docent plura ex dictis §. V.

§. VII.

Sub initiis aestus restituitur primo ad tempus sublatum aequilibrium, deplentur venae, pars sua redditur pro more arteriis; sed dum in his res non persistit, incremente velocitate ac impetu circulationis quemadmodum ex §. V. ubi de stadio ebullitionis locutus sum, patet, rarefit sanguis, augetur mole maiusque nititur occupare spatium, sed dum arteriae robore suo, maiori, ex parte conamina eius irrita reddunt, venas petit, in has vim suam exercet, distenditque toto fere nec eo paruo certe, quod calore succrevit, voluminis augmento. Manifesta haec sunt nec ulteriori probatione egere videntur.

§. VIII.

Ut autem nunc patet ex dictis, sic primo sic secundo stadio, venas esse, quae quam maxime a perturbata, duplici illa febris saevitie, circulatione, quoad maiores modo truncos in priori,
per

per omnem vero suum ambitum in posteriori, afficiuntur: sic inter venas, Vena Portarum longe magis eodem tempore, iisdemque conditionibus laedi debet, quum sanguis in toto circulationis suae apparatus non tantas difficultates tranando experiatur, quam quidem hic.

§. I X.

Vena haec ut prae omnibus sui congeneribus nobiliori praeest officio, ita peculiarem privamque sibi nacta est conformationem. Dispersae per ventriculum, intestina, pancreas, lien, mesenterium atque epiploon innumerae ramificationes recedendo ab origine sua paulatim colliguntur, donec in tres notabiliores ramos, mesaraicum magnum, splenicum atque haemorrhoidalem internum seu mesaraicum parvum, abeant. Hi postquam pancreatis caput attigerunt, invicem sibi iunguntur atque confluunt in unum truncum, ludente saepe in confluxu hoc natura. Truncus inde retro duodeni initium sese vertit, a latere sinistro versus dextrum pone arteriam caeliacam ascendit atque tandem sub faciem anteriorem sive concavam hepatis pergit, ibidemque ampliatur

quodammodo, quam ampliationem finum vocant proque termino habent, qui separat nunc descripta vasa quaeque venae portarum ventralis nomine insigniuntur, ab ulteriori ejus continuatione, vena portarum hepatica vocata. Haec, pro trunco cujus dictus finus pluribus venit, in quinque potissimum ramos divisa, tres deducit in lobum dextrum, duos in sinistrum, qui in innumeras distributi propagines omnem utriusque lobi hepatis substantiam peragrant.

§. X.

Servat ventralis communem venis genium fertque concreditum sibi sanguinem ex angustiori in amplius; at hepatica convergentibus eum suscipit ducitque ramis, utut prioris propagatio fit, arteriarum tamen indolem affectatur. Carent praeterea utraeque in tota sua congerie secundum Ill. Hallerum (a), in ramis mesaraicis secundum Celeber. Ruyschium, (b) valvulis.

§. XI.

His breviter Venae portarum proprietatibus de-

(a) Pr. lin. Physiol. §. 697.

(b) Advers. dec. 11. p. 11.

delineatis, reliquum est ut enarrem, quid inde ei diversi accidat sub decursu paroxysmi febris intermittens tertianae, quam quod evenire in reliquis venis superius dixi.

§. X I I.

Sensus quem habent aegri in ipsis medullis gelidum saevire rigorem, luculenter indicat non exteriora modo, sed intima quoque penetralia spasmone teneri, atque adeo nec Venam portarum immunem esse. Sanguis ergo eius non ut aliarum omnium ab antecedente tantum retardabitur, neque auctam inde eius copiam tot ampli diuident inter se alvei, ut id fieri necesse est ratione venarum cava pragnatarum, sed impiedietur is & angustia convergentium viarum, quibus exitum sibi parare debet, & constrictis earundem spasmone tenuioribus extremis, & denique aggesta nimia quantitate, in affine caput venae caevae, cruoris. Paucissimus itaque certe exprimetur, dumque interim affluxus a tergo imminutus licet, pariter affectis initiis venae portarum ventralis, durat tamen atque ob maiores vires motrices arteriis adhucdum superstites copiosior longe influit, quam quantus, arduas nimium aegre

praeterlabens hepatis femitas, extrema tandem affecutus orificia, enitetur. Accumulabitur igitur quam maximè praecipue vero, orbus beneficio valvularum, in ramis divergentibus inferioraque tenentibus, distendetque violentius parietes ipsum coercentes, quam ullum aliud vas venosum tantis impedimentis non obnoxium, id experitur.

§. XIII

Stadio insequente dum non longa interposita mora, rigidum frigus ardentissimus excipit aestus, nondum systema hoc expeditum a priori infarctu, novo inundatur sanguine, tantoque maiore afficitur violentia, quo velociore cursu is irrumpit magisque superat velocitatem difficulter se per distensum hunc enervatumque praegresso stadio complexum vasorum, intromoventis.

§. XIV.

Accessum dictae febris tales molestias parere systemati venae portarum; in regione eius, quas memoravi §. V. si non semper saepius tamen observandae, tempore utriusque stadii, tensiones,

mes, stricturae, testantur. Talia contingere debere maiori minorive gradu loquitur vel ipsa eius conformatio, legesque circulationis, praecipue circulatio ei propria, quae & in statu sano, ut iam innui, tarda lentaque magis est quam ullibi. Neque aliquis obiiciet contra haec membranam illam Glissonii nomine ornatam. Quis enim hodieum credit vim ipsi muscularem inesse, actionemque propriam, sanguinem propellere, & quasi vice cordis abdominalis fungi?

§. X V.

Inter veritates medicas id quoque numeratur quod, quemadmodum vix dentur potentiae absolute nocentes, quae morbos producerent nulla ope faventis ad id corporis plus minus adjunctae, rariores licet sint tamen, diatheses corporibus infitae, quae vel levissimarum causarum impraefiones excipiant, nilque fere dari in rerum natura tam mite tam iners, quod non morbos huic vel illi, certo nec semper explicando modo dispositis, creare observatum fuerit.

§. X V I.

§. XVI.

Nec igitur tuto quis dicet, ea tam gravia quae evenire ratione Venae portarum asserui, semper post superatam febrem depelli pristinumque partibus redire vigorem. Fatendum potius, posse in nonnullis, reliquias tanti mali per totam vitam indelebiles manere, debilitatem puto venae illius.

§. XVII.

Ea autem sic effaeta, pro variis variorum hominum vitae conditionibus, varios fortietur eventus. Non graves habebit a sanitate abalienationes pedissequas si, quas servavit, virium dispendio non amplius subiicietur. E contra magis magisque in dies labefactata sicubi fuerit, eo tandem languoris perueniet, ut oborto a quacunque causa, sanguinis in cava eius iusto copiosiori affluxu, impos, aut vere soluto contactu fibrarum, aut relaxatis minimorum ramulorum diversa viscera perreptantium ostiis, molestum dimittet humorem, ulterius pro opportunitate loci sive per os sive per anum de sinu primarum viarum eliminandum; faciet ergo si primum accidet, Haematemesin quam volo.

IVX .2

§. XVIII.

§. X V I I I.

Compraëssis venis iliaticis utero gravido dum impeditur in venis extremitatum inferiorum refluxus sanguinis easque in varices attollit, hae licet, subinde remota causa absoluto graviditatis tempore non concidentés, pluribus impune circumgestantur, non ne tamen visae sunt aliquibus, disruptae periculosaarum haemorrhagiarum fontes exstitisse?

§. X I X.

Suffulta sic possibilitate vomitus cruenti fetu haematemesis solius rationis suffragiis, accedo ad ea quae contigit mihi reipsa de id generis vomitione videre.

Accidit ut vir quidam, quem alicuius negotii ergo adibam, redux ex itinere quod rhaeda celeranter admodum vectus nuperrime confecerat, me praesente, postquam vehementer impaluit leviter que nauseavit, maxima quantitate euomuit sanguinem fluidum ex fusco rubescentem. Quando consiluit cruenta haec eiectione viribus que paululum subventum fuerat, quaerebatur aeger sibi id jam non prima vice accidisse, sed a duobus abhinc annis quoties vel pathemate quodam

animi fortius agitabatur, vel motu violentiori se exercuerat vel denique mero ultra, quam par est, se onerabat, id infortunii oboriri: evitando tamen sollicitate, quae accersere illud tristi experientia didicit, quater nonnisi superuenisse narrabat. Cum denique quaesiverit ex me, quid opinarer de natura molestissimi istius morbi, obstructus eram, ea, qua potui, diligentia, qui praecessit qui ve praesens status eius erat, ad examen revocare.

Erat ille aetatis annorum circiter triginta, temperiei corporis tenerae gracilis, ante triennium, vehemente diuturnaue feбри intermittente tertiana laborabat, qua tandem depulsa convaluit, optimaque pro suo modo fruebatur valetudine, nulla penitus incomoda sentiit in hac illa ve functione, quousque in moderato constitit regimine vitae; accidentibus, quae sanguinis circulationem incitant aestumque operantur, primo anno post passam febrem, tensionem quandam in imo ventre levemque quasi anxietatem percipiebat, insequentibus annis, easdem causas, pallor, subito deiectae vires, comitabantur; haec, modica excipiebat nausea oreque prorumpens sub obscuro coloris fluidusque sanguis, semper uno conatu certa eaque magna quantitate rejecta subsistens,

stans, postea nihilominus per tres, quatuor vel quinque dies, ano prodiens grumofus niger nec tamen spiffitudinem piceamque nigredinem sanguinis atrabilarii habens. Debilitas exinde orta non facile superabatur; sed temporis successu restituebatur denique vigor aegerque omnibus officiis sano homini convenientibus viriliter perfungebatur. Viscera abdominalia vel aliae partes nullis indiciis in suspicionem obstructionis venire poterant. Nulla suppressio evacuationum criticarum. Adfuerunt equidem haemorrhoides caecae, sed hae non prius apparuerunt, quam ubi iam bis id se manifestavit, quod illae tanquam causae praecurrere debuissent. Praeterea nullis unquam comitabantur perturbationibus, quas natura hisce viis sibi succurrere moliens saepe, tametsi eas faciles invenit, maxime vero si quae dantur, quae exitum prohibent caecasque tales dictas haemorrhoides faciunt, ciere solet. Imo cum suasu familiarium hirudines applicari sivit parsque bona cruoris de tumidis detracta erat venis, ne vel hilum minuebatur propensio ad pristinum morbum; supererat illa dataque occasione sanguinem ore profudit. Bilem atram, aut aliam affectioni huic originem praebuisse observata, accusandi nullus erat locus. Igitur omnibus his ri-

te ponderatis, tandem opinionem concepi, quam specimine hoc tueor, mentemque meam roganti dixi.

§. X X.

Eundem duorum circiter mensium spatio elapso vidi post largiorem computationem subito pallidum fieri animoque deficere. Postquam refocillatus aliquantum erat, causam a me symptomatis huius sciscitabatur. Pendebam diu animi quid inculpandum esset, tandem sollicita pervolvendo omnia mente cum viderim omnes adfuisse conditiones, quae alias genuerant cruentum vomitum, censui nunc quoque haemorrhagiam natam fuisse de propaginibus venae portarum in intestina hiantibus, sed demissiori multo loco, quam ut effusus in tubum hunc humor vitalis, sine vel quam maxime inverso peristaltico motu per omnes viae difficultates in ventriculum usque penetrare potuisset. Docuit veritatem suppositi post duodecim fere horas alvo egestus nigricans grumofus sanguis, qui que adhuc tribus quatuorve vicibus prodiit.

§. X X I.

Tardigradum, quem neglexerat ante, dum incre-

crebescere sic sentit. morbum aeger, medicas constituit adhibere manus. Indictum erat congruum vitae regimen, vocataque in usum varii generis tum interna tum externa, roborantia, tonica. Horum prospero eventu laetus se vidit per integrum triennium illibata frui sanitate: quomodo porro se habuit, adempta mihi fuit, longo tractu regionum remoto pernoscendi occasio.

§. X X I I.

Homo quidam a septem annis in ea versabatur valetudine, ut quam primum severius susciperet frigus tussique corripere, post aliquod tempus cruenta exspuebat, deinceps levibus obmurmurantibus borborygmis nauseabat ac vomitu praehendebatur; quo insignem copiam sanguinis non coagulati reiecerat, aliquoties postea ventre quoque inferiore in grumos coactum nigrescentem excernens. Similia sequebantur, ubi longiori succussoriaque defatigabatur equitatione. Varie variis interpretata fuit indoles morbi. Quibusdam pro Haemoptysi tractabatur; alii obstructiones viscerum criminis postulabant, hasque resolventibus, deobstruentibus, saponaceis oppugnabant, incassum tamen; cum morbus & levioribus iam dicti generis causis saepius resuscitabatur. Forte

accerfitus ad eum, perquirens omnia, didici aegrum ante vomitus apparitionem, diu inclementiori febre intermittente tertiana vexatum fuisse, sed praeterea nihil quidquam, quod in obscuro hoc casu lucem quandam affudisset; deerant quaecunque accusare solitum est. Nec per sua signa nec per adhibitam eousque medelam, obstructions qualescunque subolfacere datum fuit. Eadem ergo ratus ac in superius enarrata observatione, eandem similiter ingressus sum viam medendi.

§. X X I I I.

Fateor equidem ingenue, medelam talem non penitus respondisse meis aegrique votis: sed id tamen praestitit, quod alia ratione eam instituentes non viderunt, emolumentum. Rarissime nec nisi gravibus commissis erroribus, repullulare abhinc visus est morbus. Forfan adhucdum felicius res cessura foret, ni plus iusto virium dissiparet indocilis cupiens que liberorum maritus.

§. X X I V.

Quum itaque quae in historia binorum horum casuum fideliter retuli, luculenter ostendant nihil in aegris illis observatum fuisse, quod alias praedispositionem ad morbum talem generare potuisset:

fet : Quum febris intermittens tertiana praecesserit , qualem priori parte probavi sufficere ad debilitandum systema venae portarum , adeoque disponendum ad producenda hoc genus profluvia : Quum denique ipsa adhibita cura videatur id indigitare : maxima cum probabilitate ausim inferre pro conclusione : Haematemesin five vomitum eruentum subinde a sola debilitate venae portarum oriri.

§. X X V.

Quod superest, Lectorem Benignum obsecro, barbarum ignoscat orationis cultum. Summa temporis angustia obstitit, quin vel tantillum operae in verborum ornatum conferre potuissim : Meminerit praeterea, si, acri dicta mea perpendens iudicio, a vero me descivisse coarguet, nil inde damni in aegrotorum meorum sanitatem redundasse, nec ergo me promeruisse, quin leni condonet animo vix evitabilem in obstrusis morborum eruendis causis, lapsum.

*Quippe etenim multo magis haec sunt tenuia textu,
Quam quae percipiunt oculos visumque laceffunt. (a)*

(a) LUCRET. libr. IV.

F I N I S.

T H E-

T H E S E S.

I.

Quaecunque in corpore nostro secretorum humorum nomine veniunt, Fermentationis progenies sunt.

II.

Falso statuitur defaecatissimum non nisi sanguinem ad Encephalon pervenire, pro secretionem fluidi nervei.

III.

Omnia voluntariorum musculorum, cessante voluntate, sponte actiones subsistunt; neque necessarii ad id sunt musculi antagonistae.

IV.

Quantumvis spasmi conferent ad certum quendam morbum producendum, solis sedantibus is radicaliter curari non poterit.

V.

Saepe materies morbosa viribus naturae ita praeparata, ut per sudores eliminaretur, retinetur intro, morbusque continuat ob impedimenta, quae solum circumfident cutis ambitum.

T H E S E S.

I.

Medicina non est ars conjecturalis sed certa.

II.

Systema Leuwenhoekianum, circa sanguinis partes, recentiorum experimentis contrarium est.

III.

Rarissime puerperis vena est secanda.

IV.

Recens natis & infantibus diaphoretica & ita dicta Besoartica semper plus detrimenti quam emolumenti adserunt.

C

IN.

INAUGURALE CARMEN

IN HONOREM

D. B. ROBLES DE MEDINA,

Summos in Medicina honores adquirentis.

Dic Musa, cuinam me jubeas prius
Adgratulari; quum pia tempora
Circumdat ambiens Apollo,
Et medicum creat auspicato.

Hoc vendicabunt Antipodum Chorus,
Endemiis quæ terra flagrat malis
Et misit ephebum *Medinas*
Ut patriis medeatur ægris.

Ne-

Negemne primas, cum repetat, patri?
Qui tamdiu isto pignore maluit
Carere quam suos in ipso
Orbe novo indignisse cives.

Si cerno recte, non sine crimine
Me *Benjamino* posse suam sibi
Non ferre laudem, fatido,
Qui scopulos tot, itemque fyrtes

Enavigavit: surge, age Laurea
Apollinis succinge caput tuum.
Dico, esto solamen querenti
Occiduo, Batavove mundo.

Blandis ocellis Clio mihi annuit,
Ut ne nihil dicam, Medicos manu
Qui Te, *Medinas*, tortuosis
In Medicum viis educarunt.

Et regno, pinto, cum regno, pinto
Qui stant in isto regno malis
Certe quoniam in
Oro vero in istis

D. B. ROLES MEDIA

Si quis videret non hoc curat
Me bene videri posse tam ubi
Non tunc tunc, tunc,
Qui scopus est, tempore lyrae

D. B. ROLES MEDIA

Et regno, pinto, cum regno, pinto
Qui stant in isto regno malis
Certe quoniam in
Oro vero in istis

D. B. ROLES MEDIA

Et regno, pinto, cum regno, pinto
Qui stant in isto regno malis
Certe quoniam in
Oro vero in istis